Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1933
Quelle:
Copyright:



ceps ornarunt. 43) *fol.* 377. *In Dieta frankforden. per Thomam de Haſlpach* 19. *nouembris* 1441. Initium: *Regie maieſtatis ſerioſe exhortationis gratioſe perſuaſionis verbum huic deo digno cetui R*$^{morum}$ &c. *mandatus in medium deducere ſatagens* &c. Verbis Apoſtoli *Philip.* c. 3. *Imitatores mei eſtote fratres* &c. Status urget ad cooperandum *Friderico* Imp. in tollendo Schiſmate, diſciplina eccleſiaſtica reformanda, & emendandis moribus, e quorum profligatione ſequi Populorum ruinam exemplo Rom. Reipublicae praeclare oſtendit. 44) e calce: *Collatio in Dieta Moguntina per Thomam de Haſelbach facta Anno &c. 41. 14. die februarij.* Initium: *Orationem exorſurus — in calce preſentis ſacre conuentionis de mandato R*$^{morum}$ *in chriſto patrum ſanctarum Auguſten. et Cbyemen. Eccleſiarum antiſtitum, nec non generoſi domini Alberti de potendorf Baronis et ſupremi pincerne incliti ducatus Auſtrie* &c. En reliquos *Friderici* Legatos ad hunc conventum, cui ſub diſceſſum Noſter eadem commendat, quae *Francofordiae*, deſignans *Fridericum* Imp. iis *Matth.* 20. verbis: *Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* 45) abſque inſcriptione Exhortatio ad Eosdem congregatos ad Schiſma abolendum, Concilium generale celebrandum, legitimum Eccleſiae Paſtorem procurandum &c. Initium: *Dum ego tantillus, alias inter infimos minimus mandatum ſuſcepiſſem a R*$^{do}$ *in chriſto p. &c. et ceteris principibus et dominis Ambaſiatoribus* &c. Thema: *Dum tempus habemus, operemur bonum, maxime autem ad domeſticos fidei. Galat.* 6. Non memini ſincerius et vivacius ullibi faciem rerum illius aevi depictam eſſe, quam in his Noſtri Orationibus. Certe per eum non ſtetit, quo minus medela malis omnibus afferretur. 46) *Collatio ad Clerum in collatione ſacrorum clericorum Ordinum per thomam de haſelpach.* In illud: *Si diligitis me, mandata mea ſervate. Joh.* 14. Initium: *Saluator mundi chriſtus dominus fons et exordium noſtre beatitudinis* &c. Egregia. 47) e calce: *Collatio Thome de haſelpach in Exequiis Ser*$^{mi}$ *Regis Ladiſlai Vngarie Boemie &c. Anno &c. 57. in Eccleſia predicatorum in Die Nicolai.* Initium: *Amicorum et neceſſariorum ſuaſio, multimodorum beneficiorum acceptio, noſtrorum officialium etiam preter morem concluſio et flagrans ad noſtrum defunctum neceſſitudo compellit coram veſtro venerabili cetu ſimiliter preter morem linguam pro preſenti ſolvere, vbi magis liberet flere, quam aliquid dicere. Quod vt ordinatius complere valeam, dico cum dauid: Num ignoratis, quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Iſrael. II. Reg.* 3. &c. Multae et meritae laudes Juvenis regii, qui, ut ait Noſter, dum in extremis adſtantium videret lacrimas, *Nolite, flere*, inquit, *nihil mihi deerit.* Eſt illi *dulcis eloquio, pulcherrimus facie ſed pulchrior moribus, clarus ingenio, iuſtus in iudicio, circumſpectus in agendis, ſobrius et caſtus.*